

Richter,
De observando
in morborum
medela methodo

1771



DISSECTUS VENAE PLATEA
IN OBSERVANDA
EX CORBORVM MEDELA
MATERIALIO DOBO
GRANULATI
VITRIFICATO ALBUMINOS
VITRIFICATOR
BONITATEM DOCTORIS MEDICINAE
IN VITRIFACIENTIA
CITRUS VITRIFICUS



DISSERTATIO EPISTOLARIS
DE
OBSERVANDA
IN MORBORVM MEDELA
METHODO
GENERATIM CONSIDERATA

QVAM

F R A T R I S U O

F R I D E R I C O A D O L P H I O
R I C H T E R

G R A T V L A T V R V S

D I G N I T A T E M D O C T O R I S M E D I C I N A E
I N R E G I A F R I D E R I C I A N A

D. III. DEC. M D C C L X X I.

P V B L I C E I M P E T R A N D A M

I N S C R I P S I T

D. C H R I S T I A N U S F R I D E R I C U S
R I C H T E R

H A L A E

A P V D . J O . C H R I S T I A N . H E N D E L .



D. CHRISTIANUS ERICHERICUS
RECHTER
FRATRI SVO AMANTISSIMO

S. D. P.

In eo iam es, MI AMANTISSIME FRATER, ut prae-mia accipias diligentiae assiduitatisque TVAE vberrima. Quidni ita-que laetitia exultem, me, dulcissimis amicitiae aequa ac consanguini-nitatis vinculis TECVM arctissime iunctum, in TE, talem nactum esse fratrem, qualem TE futurum omnes sperabamus? Verum enim vero mihi cum non liceat festo TWO hoc atque solemni die, ea TI-BI dicendi, quae pro TE sentiam, accipias quaeso, haec qualiacun-que conamina, amicitiae in aeternum duraturae amorisque integerrimi monumentum. Non vero aut noua, aut plane inaudita erunt quae TI-BI proponam, nec haec fortassis a me exspectabis, sufficiat si non inutilia, aut cuique tironi satis nota TI-BI commu-nicabo.

Nonne vero TI-BI videor, me, quaedam, de obseruanda in morborum medela methodo, proponentem, iliada canere post Homerum, cum idem argumentum in multis egregiis scriptis iam satis pertractatum fuisse videatur? Haud quidem inficias ibo, dari scripta, quibus historiae morborum exactissime describuntur, et remedia eis medendi efficacissima indicantur, cum vero non tironibus scripserint eorum auctores, ne verbum fecerunt de tempore quando commen-data ab eis remedia aegrotantibus porrigitur conueniat.

Cespitare hinc incipiunt minus periti, et anxxi modo in hoc, modo in illo remedio, sed eheu! frustra, solatium quaerunt. Tur-bantur enim infelici eorum artificio crises, augentur et exasperantur morbi, per se alias atque naturam suam mites et benigni, et oritur inde artificiosa; aut si mauis, tumultuaria illa et mortiterra methodus,

A 2

quam

quam in praxi sua nouiti medici amare et sequi dicuntur. Attonitus saepius vidi quas hominum strages insanis ista hominum edidit arrogantia, non naturae ministri sed potius magistri agere velle personam. Mitto itaque ad te has litteras, ut te moneam, caueas, ne in hos quoque incidas laqueos.

Sed quaenam est, quaeres, vera haec atque salutaris methodus? Vides facile pro diuersa morborum natura diuersam quoque eligendam esse medendi methodum, quam tamen ad generales quasdam regulas reducendam esse credo.

Commendauit in febrium curatione *Illustr. de HAEN* methodum antiphlogisticam, veram Hippocraticam, quam a medicis nimis neglectam putat. Sed in eo, ni totus fallor, vir de re medica tot nominibus optime meritus, paululum iniuste contra medicos egit germanos. Sub initio enim iam huius saeculi, eandem hanc methodum, celeberrimus *STAHLIVS* inter nostrates primus docuit, et in egregiis suis adnotationibus ad Satyras Harueanas uberior explicauit. Docuerunt et exercuerunt eandem *Illustr. HOFFMANNVS*, omnesque medici rationales.

Cum vero tristis haec sit veritatum medicarum fons, ut semper de illis diuersimode iudicetur: ita etiam contigit, ut, quanquam conueniant medici, methodum antiphlogisticam in febrium curatione esse vinicam veram, tamen in eligendis remediis, eorumque applicatione, toto ut aiunt coelo inter se fere differant.

Ea vero mea non est arrogantia, ne dicam temeritas, ut, me, his ab omni tempore inter medicos de methodo medendi agitatis controuerliis, immiscere, atque calculum meum eis addere me posse, mihi persuadeam: tamen, cum nouiti aequa ac veterani practici, priuilegium impune necandi possideant, et cum saepius aegrotantes, fere bona fide nobis tradentes, experienta atque tentamina nostra sua morte luant, serio omnino nobis erit cogitandum, quaenam in tanta sententiarum diuersitate nobis ingredienda sit via. Sed hic labor, hoc opus est.

Quo

Quò magis enim quis scripta clínica diurna versat manu versat nocturna, eo magis timidus atque incertus redditur, eo magis intelligit quam diuersas, quam e diametro sibi oppositas, sententias, viri nominis famam assecuti, aleant atque tueantur. Observationes obseruationibus refutari discit. Vnus cicutam laudibus in coelum extollit, alter idem medicamentum plane nullius esse effectus asserit. Vnus in febrium acutarum curatione vomitoria summopere laudat, quae alius maximopere contemnit. Alius vnicam salutem in repetita quaerit venae sectione, alius in omissa. Nonnulli camphoram, corticem peruvianum, serpentariam virginianam, alii phosphorum, moschum et ambram maximi faciunt. Quid itaque in perplexo hoc rerum statu faciendum? In cuius partes eundum?

Optima sane ex hoc labyrintho exitum inueniendi erit via, institutione atque consilio experti et prudentis vti medici. Verum enim vero rara cum haec paucis solummodo contingat felicitas, optima sine magna hominum strage ad solidam cognitionem practicam perueniendi methodus, illa mihi videtur, quam TIBI, MI AMANTISSIME FRATER, sequentibus breuissime tradam.

Praesuppono vero, antequam quis se ad practicam artis salutaris conuertat partem, vt in theoreticis satis versatus sit. Praesuppono, vt anatomiam bene calleat, non dicam subtiliorem et subtilissimam. Multum enim temporis, multum assiduitatis requiritur, antequam quis ad hoc cognitionis perueniat fastigium. Sufficiat structuram, situm atque connexionem viscerum atque partium corporis cognoscere, sufficiat earum actiones atque usum distincte intelligere. Non quidem desunt egregia opera e quibus subtiliorem cognitionem corporis humani physiologicam sibi quisque parare possit; sed fateamur necesse est, melius faciet, se suasque vires practicae vitae dicens, omnes has subtilitates, quae non conseruandam corporis sanitatem, et cognitiones atque curationes morborum respiciunt, missas facere; melius faciet indolem, differentias, decursum, et caussas morborum perspicere exactissime, et remediorum naturam, actiones et effectus

intelligere perspicacissime, quam inutilibus, abstrusis, et subtilissimis quaestionibus tantummodo inhaerere theoreticis. His itaque imbutus cognitionibus necessariis atque utilissimis, adiutusque obseruationibus fidis practicis expertorum virorum, quas legendo et relegendo in succum, ut ita dicam, et sanguinem mutabit, intelligere incipiet, quid faciendum fugiendumque sit in morborum medela.

Tam obseruationes vero, quam ipsa quotidiana experientia nos docent, corpori nostro, a sapientissimo creatore, inditas esse vires atque potestatem, per auctos motus, materias peregrinas, interitum eiusdem alias producentes, eiiciendi atque sic mortem auertendi. Motus hi, ad expulsionem materiarum peregrinarum tendentes, medicis audiunt motus naturae critici, et ortus hinc est ille loquendi mos, hunc vel illum bona natura praeditum esse, id quod nihil aliud indicat quam inesse corpori cuidam vim, sine notabili atque magna functionum laesione materias eliminandi morbosas, earumque effectibus deleteriis resistendi.

Hippocrates iam effatus est, naturam optimam morborum esse medicatricem, et *Illiustr. STAHLIVS*, „quot enim vero sunt gentes; ait, per totum orbem, apud quas articia, quoad maximam partem inania atque superflua, aut turbulenta, praepostera, periculosa, aut irrita ad minimum in vanum tentanda, plane incognita sunt nedium inusitata; inter quas tamen gentes, neque morborum variorum prouentus deest, neque restitutio in integrum magnorum exemplorum numero deficit. „

In eo etiam omnes conueniant medici, vigentibus adhuc viribus vitalibus, seu quod idem est, naturae, optima quaevis in pericolosissimo quoque statu adhuc esse speranda, his vero deficientibus, omnia nostra molimina, omnia articia esse irrita atque vana.

Sequere itaque naturam, disce motus noxios morbi a moribus salutaribus et criticis naturae distinguere, prima erit et aurea regula practica.

„In-

„Intelligebam, inquit s TAH LIVS, quod Hippocrates, numerosis certe monitis atque praceptis, has actiones obseruare, nusquam impedire, turbare aut peruertere consulat, edicat, praemonstret; bonum atque salutarem exitum, si illae recte, ordine, libere, immo cominode procedant, praesagiat quin promittat. „

Nihil itaque medicamentis efficere possumus? Commitenda solummodo viribus naturae a morbis erit restitutio? Fucumque facient medici, se morbos sanare posse adfirmantes? Minime. Ministri quidem sumus naturae, sed tamen motus nimios et excedentes reprimere et refraenare, deficientes excitare, noxios saepius deriuare et suppressimere, et salutaribus succurrere atque eos promouere possumus consilio, regime et simplicissimis medicamentis, quibus omnibus medici, multa millia mortalium, ex ipsis orci eripuerunt fauibus, et eripient amplius.

Magno vero iudicio, magna circumspetione opus est, iustas et bonas a malis et noxiis distinguere commotionibus; intelligere an commode et iusto ordine procedant, an vero illis subsidiariam operem afferre necessarium immo consultum sit, et quibus consiliis, aut auxiliis fidis atque expertis hoc faciendum, quo tempore, quo ordine hoc obtainendum, quomodo laborantem subleuare, impeditam expedire, et deflecentem in rectam viam reducere possimus naturam. Hoc scire, hoc intelligere, hoc prosequi et exequi posse, absolvit totam medicam artem.

Quam e contra inconsideratum, quam temerarium, quam sanae rationi contrarium esset, omnibus his difficultatibus aut plane incognitis, aut non satis ponderatis, contrariis iam commotionibus, iam cohibitionibus, iam in alienas vias depulsionibus, naturam non solum turbare, sed ad erroneos conatus etiam adigere.

Quae cum ita sint, attentos nos ad minimas in morbis mutationes esse debere patet; hoc si facimus, videbimus tria haec potissimum a natura in morborum medela peragi.

I) Vt

- 1) Ut materias excrementitias praeparet atque coquat.
- 2) Ut coctas a bonis secernat.
- 3) Secretas quam fieri potest cibissime ex corpore excernat.

Quam male itaque illi res suas peragunt, qui omnium morborum curationem cum remedio laxante incipiunt, cruda enim saepius mouent. Praeparatio ergo materiae crudae semper eiusdem excretionem antecedere debet. Nulla tamen datur regula tam certa, quae non exceptiones quasdam patiatur, quae tunc potissimum locum habere videntur, quando materia morbi eius est indolis, ut antequam corrigi possit, plenariam partibus internis inferret destructionem. Ad praeparationem autem materiae morbosae, pro diuersa eiusdem indole, diuersa quoque requiruntur medicamenta methodusque diuersa. Subtilis enim catarrhalis atque exanthematica ipsa febri medicamentisque leniter resoluentibus, inuoluentibus, excessumque febris mitigantibus praeparatur atque ad excretionem apta redditur, viscida et tenax, primas et secundas vias praegrauans, salibus mediis aliisque irritantibus remediis inciditur. Acidum corrigitur alcali; acre inuoluitur atque demulcetur per mucilaginosa; spissum humectantibus atque diluentibus tollitur. Specialissimam vero methodum materias morbosas corrigendi atque ad excretionem disponendi, indicare, e re mea in praesentiarum esse non puto. Sufficiat itaque dixisse, coctas tantummodo cum emolumento excerni.

Excretio vero haec salutaris materiae morbosae praeparatae et coctae, quae cum symptomatum remissione est coniuncta, (cessante enim causa cessat quoque effectus,) a medicis crisis appellatur, quae tamen modo magis perfecta, modo magis imperfecta est, quam tum lysin nominant. Apparet itaque nullum morbum, iis tamen exceptis, qui sine materiali causa a sola motuum anomalia originem ducunt, sine praegressa qualicunque crisi, posse sanari. In nostra vero potestate cum non sit positum, crises producere, sed cum solummodo sint beneficia naturae, nec praeuidere etiam possimus, per quae emulctoria contingent: manifestum est, illum medicum tunc demum sortiri

ri felicem morbi exitum, qui attentissimus ad omnes morus et mutationes versus dies quibus crises contingere solent, caute procedit et tunc vel nulla, vel pauca tantummodo et motibus criticis conuenientissima medicamenta porrigit. Periculosisimus enim est versus eiusmodi dies morbi status; oriuntur saepius pro magnitudine morbi vehementissimi motus, oritur, ut ita dicam, lucta vitae et mortis. His vero turbis se immiscere velle, res est ardui negotii, facilime enim turbantur motus salutares, et tunc actum est de vita aegrotati. Prudens his circumstantiis expectatio, conueniens regimen, plus saepius boni inferunt, quam medicamentorum copia. Magna enim est scientia tempora distinguere ubi melius est nihil agere, sed totum negotium valentibus naturae committere viribus.

Laborabat vir, 42. annorum, plethoricus, vegetus atque robustus, catarrhalis rheumatica febre; tunditur ei a chirurgo in brachio statim cum symptomatum remissione vena; continuat tamen febris, tertio post venae sectionem et quarto vero morbi die, oritur in brachio quo vena erat secta, erysipelaceus tumor cum vehementissimis stipatus doloribus. Inquietus aegrotans increpat chirurgum male illum venam fecasse, et erysipelaceum tumorem pro inflammatione a tendinis laesione orta vendilat. Chirurgus vero, his nugis temere credens, acetum lithargyrii aqua calida dilutum applicat, interne autem temperantia adhibet remedia. Continuantur haec per viginti quatuor horas, sed omnia in peius ruunt, repellitur erysipelas et delirare incipit aeger; Appellor in auxilium sexto die, sed statum pene conclamatum inuenio, sumnum delirium, pulsus celerissimum, intermittentem atque debilem, vrinam lateritiam summe turbidam nullumque sedimentum deponentem, respirationem summopere laesam. Venae sectio in hac morbi atrocitate plane impossibilis erat, hinc applicantur vesicatoria, enemata coniunctis conuenientibus internis in usum vocantur, sed omnia incassum, eodem adhuc die mors sequitur.

B

Docet

Docet nos inopinata haec hominis, quem nestoreos victurum esse annos dixisses, mors, quam facile sit peruersa remediorum applicatione, per se et naturam suam nullum periculum inferentes, in lethales mutare morbos. Saepius etiam non tam grauis committitur error, et tamen morbus, culpa curantis, plus quam par est sibi suisque artificiis tribuentis, grauior redditur. Non enim statim primis duobus aut tribus diebus, inprimis si grauiores sunt morbi, symptoma remittunt, mutantur hinc ab eiusmodi medico plus simplici vice remedia, qua ipsa tamen frequentiori eorundem mutatione, motus, iam ad crisi vergentes, facillime impediuntur et turbantur. Constat enim per quotidianam experientiam, paucis tantum opus esse remediis quorum continuo vsu, grauissima quoque mala melius certiusque tolluntur, quam multis aliis tentaminibus.

Saepius etiam, in primis in febribus, excretiones reuera criticae oriuntur, quia vero curam gerens, hanc solam sibi impressit ideam, se motus naturae dirigere posse, et omnes febres optime sudore iudicari, porrigit tantummodo remedia hunc promouentia. Oritur vero diarrhoea, quae si sibi relinquetur, critica esset, sed diarrhoea impedit transpirationem, per transpirationem vero secundum somnia medentis morbus debet iudicari, supprimit itaque crisi veram, ut somniaram suam acceleret. Sed quid inde? Grauior redditur morbus. Vehementissimi incipiunt dolores capitis, cum intercurrentibus deliriis, augetur febris. Quid nunc faciendum?

Ima miscet artifex profundis, modo venae sectiones reiteratae, modo hirudines, modo enemata, modo vesicatoria, modo hoc modo illud remedium, sine ordine, sine methodo in usum vocatur; omnia tumultuarie aguntur, et si aeger animam efflat, moritur methodice. Adstantes enim sibi temere persuadent omnia possibilia esse facta; si praeter expectationem natura fortissima haec superat tentamina, en miraculum! en portentum ingens! en medicum sine pari!

Cadit

Cadit descriptio haec, proh dolor, in multos medicos iuniores, qui vanis suis saepiusque aegrotantibus funestis ausis, famam fiduciamque acquirere student. Saepius vero ipsa summa auctorum recentissimorum diuersitas fons est methodi huius tumultuariae, quam multi in deliciis habere incipiunt, Quis e. g. lecto egregio opere HAENIANO, cui titulus est, *methodus medendi*, venae sectioni reiteratae et in febribus acutissimis, patrocinari non inciperet. Vedit enim *tantum Virum*, genuinum *immortalis BOERHAAVI* discipulum, in febribus acutis etiam quinto, sexto et septimo die venam secasse; vedit eum sub ipsa exanthematum miliarium imo petechialium eruptione, post illam, et nonnullis ante mortem quoque horis venam secasse; Habuit sine dubio *celeber*. ille *Vir* grauissimas rationes quae eum ad anceps hoc in pericolosissimo morbi statu remedium eligendum adigerent; „symptomata, enim, ait, si non remittunt eruptis exanthematibus, indicant exanthemata multa digna esse attentione, et tunc morbum ac si non adessent debere tractari. „Cum vero in febribus catarhalibus malignis, petechizantibus, et petechialibus veris, nunquam sola continuatio symptomatum eruptis etiam exanthematibus, instituendae venae sectionis necessitatem sed potius grauitatem morbi summumque vitae periculum indicat; reliquas autem circumstantias, sub quibus venam secare conueniat, nobis non exactissime *Illustr.* ille *Vir* describat: imitator methodi Haenianae, qui vero non eo summo ingenii acumine atque tanta experientia praeditus est, qua ytitur egregius eiusdem auctor, non dubitabit omni morbi statu, si tantummodo symptomata quaedam occurront, quae datis ab illo remedii statim cedere recusant, venae sectionem admittere, qua sine dubio multos iugulabit aegrotantes, qui sine venae sectione morbum superassent feliciter.

Certum itaque manet atque indubitatum, eum tantummodo medicum optime consulere aegrotantibus suis qui circa criticos dies prudentis spectatoris personam agit, non tempus inutile terendo aut plane nihil agendo, sed cum salutaribus naturae commotionibus

bus cooperando, hoc sibi vult, vt omnes criticas euacuationes non turbet, aut supprimat, sed eas potius sibi relinquit, aut si insufficien-tes esse videntur, modeste et circumspete promoueat.

Sed, cum modo per hanc, modo per aliam viam contin-gant crises, soluuntur enim morbi non solum per sudorem aut vri-nam, sed per haemorrhagias etiam, ptyalismum aut diarrhoeas. Pa-tet inde in omnibus morbis nullas euacuationes, quanquam aegro-tans paululum magis per illas debilitari videatur, statim esse sistendas, sed tunc demum de moderando aut supprimendo earundem excessu esse cogitandum, quando manifesto vires nimium debilitantur, sym-promataque morbi augeri et in peius ruere incipiunt.

Circumstantiae itaque sub quibus euacuationes sibi relinquen-dae, aut supprimenda, aut promouenda sunt, is tantummodo perspicue intelliget, qui exactissimam historiae morborum, eorumque caussarum atque effectuum cognitionem sibi comparauit, qui iudi-ciose morbum ipsum, ab eius symptomatibus accessoriis quae in scholis etiam per symptomata morbi, et symptomata symptomatum distingui solent, discernere didicit.

Nonsolum vero a materiis peregrinis, excrementitiis, humo-ribus corporis nostri illatis, sed ab anomalia etiam motuum oriuntur morbi. Pertinent ad hanc classem omnes morbosae congestiones san-guinis particulares, a suppressis aut non rite procedentibus eiusdem excretionibus naturalibus, aut post sublatam veram morbi caussam materialem a sola partium debilitate orti nimiamque generis neruosi sensibilitatem pro caussa agnoscentes. Quanta autem morborum mul-titudo ex solis his fontibus sit dcriuanda quis est qui hoc nesciat.

Vti enim in sexu sequiori non rite et sufficiente quantitate pro-cedentes aut plane suppressi menses, polymorphon hoc malum, me-dicis sub nomine hysterici notum, haemoptyses, tussim vehemen-tem, tumores pedum oedematosos, cachexiam, ipsum hydropem, centumque adhuc mala plura, producere valent; ita in potiori, a suppressis haemorrhoidibus, aut non rite tractatis eorundem molimi-

ni-

nibus, regurgitationes sanguinis versus systema venae portarum visceraque imi atque medii ventris, malum saepius hypochondriacum omnesque eiusdem molestissimae sequelae, nullis pene cedentes remediis, originem suam ducunt. Plus itaque quam vulgo creditur ad motuum anomalias, in consuetudinem deductas et post ipsam caussarum earundem remotionem tamen adhuc restitantes, est respiciendum. Genus enim neruosum debile et irritabile, nunquam eorum morborum difficillimorum, qui ei tribuuntur, est caussa proxima; sed in tantum morborum pertinacissimorum exstat caussa quidem remotior sed difficilime tamen tollenda, in quantum, in subiectis neruis debilibus atque facile irritabilibus praeditis, semper existit predispositio quaedam, ut excretiones naturales leuissima quavis caussa turbari, supprimi, et motuum anomaliae produci possint. Medici itaque, in eiusmodi morbis de in ordinem reducendis motuum anomaliis, suppressisque excretionibus naturalibus reuocandis ferio non cogitantes, sed statim ad medicamenta, quae vulgo genus neruosum firmare et corroborare creduntur, et inter quae recentior aetas martilia, corticem peruvianum, et aquas minerales non sine iure retulisse videtur, confugientes, male res suas peragunt; tunc enim satis larga manu porrectum corticem peruvianum, ipsa martilia, et aquas medicatas ne hilum quidem profecisse, sed symptoma-
ta morbi potius auxisse, certissime scio.

Verum enim vero, cum saepius unum idemque morborum genus, modo a caussa quadam materiali, modo a sola particulari sanguinis congestione, siue anomalia motus sanguinis circulatorii, producatur: patet, magnum felicis curationis momentum in eo esse possum, ut distinguamus morborum naturam, eisdemque conuenientem applicemus medendi methodum.

Sumamus e. g. asthma. Asthma praeter alias caussas rarius occurrentes, a tribus his potissimum procreatur. Primo a pituita viscida, acri, catarrhali, ad latera bronchiorum adhaerente, aut vesiculas aereas opplente; dein a materia acri, subtili, exanthematica,

totum pulmonum parenchyma irritante; et a solis tandem congestio-
nibus, ob imminutum aut suppressum mensium aut haemorrhoidum
fluxum eo vergentibus, et ex eodem quoque fonte saepius molesta et
vehementissima tussis est deriuanda. Duae priores species in praesen-
tiarum me non respiciunt, in tertia vero, nisi sopitis antea congestio-
nibus, omnia resolutientia, incidentia, expectorantia, antispastica et
roborantia medicamenta, frustra in usum vocarentur.

Femina 38 annorum, vegeta quidem sed sensibilis et paulu-
lum in iracundiam prona, quinque infantum mater, quos omnes la-
etauerat, per nonnullos annos peculiari pulmonum debilitate, con-
iuncta cum pectoris oppressione, intercurrentibus insultibus asthmati-
cis, et screatu materiae modo spissae et puri similis, modo magis mu-
cidae, mensibus utcunque fluentibus laborabat. Adpetitus quidem
adhuc vigebat, sed propter continuas affectiones spasticas vires de-
crescebant, corporis habitus macilentus reddebat, et malum pro-
incipiente phthisi habebatur. Remedia hinc in usum vocabantur se-
lectissima antispastica, expectorantia, et robورantia, quae tamen aut
nihil aut parum tantummodo proficerent. Ludebatur haec scena
per duos pene annos, paroxysmis asthmaticis nunquam in totum sed
tantummodo in tantum remittentibus. Omnibus, his circumstan-
tiis, statim pene conclamatim timentibus, praeter expectationem
grauida redditur. Primis statim ingrauidationis mensibus omnia
morbi symptomata in melius mutabantur, et ultimis plenarie cessa-
bant. Exigebat itaque a medico ordinario libertatem infanti vberes
praebendi suo, quam etiam facile obtinebat. Felicissime nunc in-
grauidationis tempore praeterlapsi, sine ullis incommodis infantem
sanum atque robustum in lucem edebet, et duo pene menses sine ul-
lis incommodis praeterfluebant; his vero elapsis vehementissimi re-
ueniebant insultus asthmatici, qui de die in diem, febri in lentam tran-
fire minitanti iuncti, in eum augerentur gradum, ut maritus et ad-
stantes de vita aegrae seruanda desperare inciperent. Tradebatur
quidem infans nutrici, pilulae ex asa foetida, liq. min. anodynus, ene-
mata,

mata, aliae plura in usum vocabantur, sed frustra. Consulebatur hinc alias medicus, qui pulsus celerem et durum, menses suppressos, et alium obstruetam inueniebat. Adhibebantur itaque temperantia, inter quae nitrum primum tenebat locum; quibus enemata antiphlogistica, et in paroxysmis asthmaticis antispastica iungebantur; instituebatur versus tempus catameniorum venae sectio in pede; dababantur eodem tempore pilulae balsamicae polychrestae, quibus menses felicissime, remittentibus paroxysmis asthmaticis, motibusque febrilibus plane desinentibus, reuocabantur. Continuatis vero his medicamentis indicato modo per tres menses ita, ut per quatuor dies cuiusque mensis pilulae balsamicae in usum vocarentur, per reliquum vero tempus, succi Hb. Trifol. fibr. chaerophill. et acetosel, iuncti elixirio conuenienti viscerali quotidie versus et post prandium sumendo, sorbillarentur; aegra, quae singularis dei erat gratia, pristinam recuperabat sanitatem.

Patere itaque ex praesenti casu mihi videtur, vehementissimas illas affectiones spasticas, sine materiali alia caussa, a solis menstruis suppressis, et regurgitatione sanguinis per menses excernendi versus pulmones, qui adfluxus per ipsam adhuc lactationem magis augebatur, fuisse deriuandas. Medicamenta enim tantummodo temperantia et ad fluxum catameniorum in ordinem redigendum apta cum fructu, reliqua vero omnia sine ullo effectu adhibebantur. Non difficile etiam est intellectu feminam sensibilem, facile irascentem, ex partu quinque infantum defatigatam, naturalem sanguinis per menses excretionem facilissime et saepius per animi commotiones potuisse turbare.

Res ergo erit maximi momenti, cum anomalia motuum, et in primis sanguinis circulatorii, multorum morborum sit mater, de modo illam in ordinem redigendi cogitare. Ne vero quis mentem meam false interpretetur, monendum adhuc esse censeo, me quidem non inficias ire a materiis quoque peregrinis et in corpus agentibus oriri motum perturbationes, quae non nisi post cauillae suae materia lis

lis remotionem cessabunt. Verum enim vero cum specialissimam delineare non constituerim medendi methodum, caussas particulares eorumque remotionem non respicio, sed indico tantummodo methodum generalem secundum quam turbae poterunt sedari, quo scopo obtento caussae etiam facillime remouentur.

Turbae motuum, et in primis sanguinis circulatorii, nusquam sine spasmis in una et accumulatione, vehementiorique sanguinis appulsu in aliam partem possunt cogitari. Certe itaque eis medendi methodus paucis his complectetur.

- 1) Mitigandi sunt spasmi.
- 2) Orgasmus sanguinis est temperandus, et congestiones a parte adfecta sunt auertenda.
- 3) Tunc vero de restituendo partibus deperdito robore cogitandum.

Spasmi generatim, nisi a summopere adfecto genere neruoso, aut praeternaturaliter mutato sensorio communi producuntur, tunc enim vel difficillime, vel plane incurabiles existunt, humidis temperate calidis externe applicatis, stricturas relaxantibus frictionibus, enematibus ex oleis, aut ex simplice infuso chamomillae saturato sine sale paratis, interne si vehementia continuare pergunt, et externis cedere nolunt remedis cum sufficientibus adhibitis temperantibus, et iusta dosi dato Liq. C. C. succin. Liq. min. anodyno, oleoque caieputi in essentia quadam, qualis Castorii est, soluto, asaeque foetidae cedere solent.

Orgasmus et vehementior appulsus, nitro parua quidem sed eo frequentius oblata dosi, excretionumque naturalium, in primis sanguinearum suppressarum restituzione; certissime tolluntur, quibus etiam in statu manifestae plethorae, mitigatis antea per temperans nitrum vehementissimis turbis, restituta excretione aluina, sufficiens venae sectio praeferuatorio tamen potius quam curatorio scopo adhibita, adnumerari potest.

De-

Deperditum autem robur restituitur per ipsam congestionum et irritationum cessationem, per temperatos corporis motus, convenientem diaetam, et remedia roborantia inter quae cascarilla, gentiana rubra, pareira braua, quibus recentiores adhuc Corticem Peruianum addunt, primas tenent.

Non vero ad felicem obtainendum euentum omnibus iam nominatis medicamentis, sed ex his paucis, et tanto maiori patientia et constantia opus est; nihil enim efficient illi, qui modo hoc, modo aliud adhibent remedium.

Cura statim a temperante nitro erit incipienda. Ad omnes enim commotiones sanguineas, sine quibus tamen nullus pene existere potest morbus, temperandas, si modo per aliquod tempus in vsum vocatur, vnicum, quod certe salutarem et constantem effectum exerit, est nitrum. Tunc vero spasm profligari et excretio per aluum et vrinam sufficiens obtineri poterit per repetitum enematum vsum, quibus simplicissimis remedii per nonnullos dies continuatis turbae sedanter et motus vehementiores remittere incipient. Roborantia dein ante et post prandium, versus vesperam vero temperantia in vsum vocata totam absolucent curam.

Venae sectio, per se, nisi manifesta adlit plethora, aut disruptio vasorum cuiusdam propter nimium appulsum timenda, nihil adferet leuaminis. Nunquam tamen in paroxysmo aut versus eiusdem recursum erit administranda. Imminuta enim sanguinis mole tantum abest ut motus et spasmi minuantur, ut potius is igni addere videatur ignem, qui sedare vult spasmos in ipso eorundem paroxysmo venae sectione.

Per se autem liquet, sine caussarum plenaria remotione, cum perfectam nunquam posse sperari, quare soperitis turbis, mitigatis symptomatibus, de caussarum etiam remotione erit cogitandum. Cum vero, vti iam dixi, saepius harum turbarum, excretiones naturales, in primis sanguineae, aut suppressae, aut insufficientes, sint caussae, de modo illas in ordinem redigendi paucis adhuc agere constitui.

C

Ex-

Excretionibus naturalibus suppressis aut nimiis morbos produci, experientia docemur. A transpiratione enim laesa febres continuas, catarrhales, tusses, asthmata; a suppressa vrina vehementissimos spasmos imi ventris, summas anxietates, vesicaeque vrinariae periculosas distensiones; ab obstipatione alui, colicas varias et graues, regurgitationes sanguinis versus pectus atque caput, hinc capitis dolores, pectoris oppressiones, et vomitus; et denique a suppressis excretionibus sanguineis, praeter superius recensita mala, etiam periculosas haemoptyses vomitum cruentum, dolorificas cardialgias, cephalaeasque oriri, ne tironibus quidem latet.

Generalis itaque maximaque utilitatis regula erit practica, in omnibus morbis excretionum naturalium, in primis sanguinearum, successum esse respiciendum. Praeuideo vero, si de restituendis suppressis atque moderandis excedentibus excretionibus naturalibus, pro rei dignitate agere vellem, multa mihi esse dicenda, quae specialiorem morborum considerationem respicerent, et propositos huius dissertationis limites excederent, mittam itaque reliquas, et tantummodo de sanguineis adhuc, in primis cum earum turbae multorum morborum sint fontes, qui falso a minus peritis aliis caussis tribuuntur, restitutis vero his excretionibus mitigari atque curari solent, breuissime disputabo.

Per excretiones sanguineas naturales in sexu potiori haemorrhoidum fluxum, in sequiori menses intelligi notum est. Menstrues vero prima vice erumpentes molestissimis saepius stipatos esse symptomatis, suppressos aut cessare incipientes grauissimos periculosissimosque morbos procreare, non est quod amplius moneam.

Quae cum ita sint non est mirandum, omnes omnium temporum medicos de inueniendis ad hunc fluxum in ordinem redigendum remediis, fuisse sollicitos. Hinc immensa haec atque inconcinnia medicamentorum emmenagogorum farrago; hinc diuersae istae et saepius sibi e diametro oppositae, modo artificiosae, modo magis simpliciores, ei medendi methodi.

Cum

Cum vero in omnibus morbis simplicissima semper optima sit medendi methodus, ita quoque in his affectibus, peritissimi et optimi de genere humano meriti viri, eam ad sequentia reduxere.

1) De mensibus aut producendis, aut reuocandis, nunquam, nisi versas illud tempus quo natura commotiones ad hunc fluxum procreandum tendentes, concitat, esse cogendum.

2) Tunc vero per quatuor aut quinque dies medicamenta specifica ad uterum agentia in usum esse vocanda, inter quae aloë, myrra, helleborus, aristolochia, primas tenere videntur. Pilulae itaque ex nonnullis horum, aliis adhuc conuenientissimis gummatis extractisque amaris iunctis, compositae, omnibus remediis palmam praeripent. Eminent vero inter reliquas pilulas, propter constantem atque certum effectum suum, pilulae genuinae STAHLI atque *polychrestae*. Non vero statim primo mente desideratus sequetur effectus, sed per aliquos continuos in usum vocatae, expectationi tandem satisfacient certissime.

Verum enim vero cum menses sine commotionibus quibusdam ad quas ipsae quoque pilulae suum conferre posse videntur, produci nequeant, hinc, 3) cum pilularum usu sufficiens semper temperantium quantitas erit coniungenda.

Venae sectio imprimis in pede, si manifesta adest plethora, versus tempus menstrui fluxus vitissime instituitur. Pediluua vero, vapores ad genitalia admissi, frictions pedum, aliaque artificia plura, innocentia quidem, parum tamen aut nihil directe ad ipsam curam referentia mihi videntur remedia.

Simplicissima hac methodo, sine ullis aliis artificiis, non solum menses fluentes reddi, sed vehementissimos etiam dolores spuriros ante et post partum minui atque tolli, veros vero promoueri, fluxum lochiorum aut non rite procedentem, aut suppressum, reuocari, experientia non mea solum sed expertissimi cuiusdam viri fretus, verissime adserere possum. Risum vero fortassis mouebunt illi, qui artificiosam amant methodum, et medicamentorum effectus a priori

demonstrandos esse credunt, si a me adseratum legerint, iisdem pilulis, quae fluxum menstruum promouere dicuntur, etiam nimium, si per nonnullos dies non omisso tamen temperantium vsu, adhibentur, optime posse sanari. Scio quidem in his malis anodynis, roborantibus, atque deriuantibus, ipsisque venae sectionibus multum tribui, sed scio etiam, omnes artificiosam hanc sequentes methodum, iis non feliores esse in praxi sua qui simplicissima hac insistunt via. Si vero cum his remediis prouidus millefolii, modo in infuso theiformi, modo in essentia concentrata, coniungitur vsus, is etiam multum adferet leuaminis.

Rationes autem si quis a me expectaret cur idem medicamentum fluxus sanguineos modo sistendi, modo reuocandi praeditum sit potentia; respondendum ei esse censeo, facultatem medicamentorum agendi potestates a priori intelligendi, nos plane adhuc latere. Non adunco itaque nasu reiiciendum esse medicamentum aliquod cuius vires statim pernoscere nequeamus, nisi per experientiam conuicti sumus illud speratos non praestare effectus. Sufficiat itaque si experientia pro nostris stat partibus.

Notandum tamen adhuc esse censeo, pilulas commendatas, nisi praedispositio et motus adsint in corpore ad hunc scopum tendentes, fluxus naturales sanguineos producere non posse. Quare, cum ex extractis amaris et roborantibus sint compositae, crispaturas et spasmos circa vterum contingentes, a laxitate, nimia sensibilitate, et distensione vasorum ortos, roborando vasa, tollere possunt. Quae cum ita sint, non adeo difficile est intellectu, cum ab iisdem crispaturis spasticis modo impediri, modo nimium fluentes reddi possint menses, cur tunc pilulae istae fluxum hunc si temperantium coniungitur vsus, modo promouere, modo moderari possint. Non vniuersalem itaque tribuimus illis effectum, sed his tantummodo circumstantiis certum atque salutarem promittimus ab earum vsu euentum, nec negamus etiam ab aliis blande tonicis et antispasticis remediis, si iusto tempore in usum vocantur, eundem obtineri posse scopum.

Ve-

Venae sectionum vero et epithematum refrigerantium et adstringentium usus, qui a multis maximi facit, rarissime requiriatur, et magno semper iudicio opus est distinguere causas ubi remedia haec necessaria esse videantur. Conuerto iam me ad fluxus haemorrhoidalis considerationem. Quantae turbae, quam graues et periculose colicae haemorrhoidales, quae vehementes et molestae congestiones versus viscera imi atque medii ventris, et quae inde spasticae stricturae a moliminibus haemorrhoidalibus non rite procedentibus, aut quocunque modo turbatis, progigni; quanta vero saepius etiam cum euphoria fluentes reddantur, non est quod multis moneam. Optime itaque partes explebit suas qui huius fluxus considerationem nunquam neglit. Constanter vero experientia nos docet, in omnibus morbis, negotium haemorrhoidale pro causa etiam remotiori respicientibus, prudenti expectatione et conueniente regimine plus boni effici, quam medicamentorum farragine. Ad pauca itaque haec, omnia, quae circa earundem curationem erunt obseruanda, poterunt reduci.

1) Omnes vehementes animi corporisque commotiones, omniaque medicamenta calida et pellentia, diaetaque lauta atque vinosa cane et angue peius fugiantur. Temperantia e contra, modica corporis motio, venae sectiones, magis praeseruatorio quam curatorio scopo in pede institutae, frequentior, si necessitas requirit, hirudinum ad locum adfustum applicatio, remediaque blande aluum apientia, in omnibus commotionibus, ad procreandum fluxum haemorrhoidalem tendentibus, certissimum adferent leuamem.

2) In ipso earundem fluxu plane nihil erit agendum. Euitentur solummodo animi affectus, omniaque spirituosa; diaeta sit conueniens.

3) Si vero nimio earum fluxu corporis decrescere vires videntur tunc a multis martialia et adstringentia adhiberi, fortisque fistentes, ipsumque spiritum vini rectificatissimum externe applicari, scio. Sed cum omnibus his remediis caute mercandum, esse mihi videtur

adstringente enim effectu infarctibus, obstructionibus pertinacissimis aliisque grauissimis morbis ansam praebere possunt. Temperantia, et blande tonica conuenienti regimine iuncta, et per aliquod tempus in usum vocata, semper melius certiusque desiderio eorum satisfacent, qui didicerunt non statim primis diebus eiusmodi fluxus securè posse mitigari.

Habes iam, M I A M A N T I S S I M E F R A T E R , ea, quae de methodo medendi generatim considerata, T I B I communicare constitueram. Quanquam vero conuiectus sim, me non omnia quae dicenda sunt, aut melius dici poterunt, dixisse: tamen in dissertatione hanc, quam non eo fine, ac si me sapere et alios docere, aut ad veram cognitionem practicam perueniendi viam eis indicare me posse mihi temere persuadeam; sed ut solummodo T I B I , ad summos in medicina honores adspiranti, felicissima quaeuis apprecepit, exaraui, te hinc et inde monita quaedam, quorum constans obseruatio te nunquam poenitebit, inuenturum esse, spero planeque confido. Ut vero eo clarius intelligas quomodo regulas generales ad speciale quoddam morborum genus applicandas credo: ostendam T I B I adhuc qua ratione secundum illas febrium institui possit curatio.

Non T I B I ignotum est quam late patens febris morborum sit genus, et quam diuersimode de eiusdem natura sentiatur. Cum vero iam non meum sit febris T I B I tradere etymologiam, sufficiat TE commonere, generatim consideratam, non simpliciter pro morbo esse habendam febrim. Celeberr. etiam BOERHAAVIUS de febre asserit, quod sit adfectio vitae, conantis mortem auertere tam in frigore quam calore. Tradita ergo superius a nobis regula, sequere naturam, &c. distingue motus, promoue salutares, reprime noxios, in febrium curatione maximi erit momenti. Cum vero febris natura in aucto consistat sanguinis progressu motu; sequentia inde fluit. Naturali auctior progressius motus, tenacia soluit, stagnationes discessit, cruda coquit atque ad excretionem disponit; magis vero auctus fluidas sanguinis partes consumit, salinas et oleofas magis euoluit et ad

cor-

corruptionem et putredinem disponit. Hinc in omnium febrium rationali curatione, motus febriiles nec supprimendi statim, nec inconsiderate augendi, nec si nimis aucti, sibi metipsis sunt relinquendi. Valedicendum itaque erit omnibus adstringentibus inconsiderate adhibitis, omnibus aromatibus calefacentibus, omnibus stragulis atque hypocaustris nimis calidis, totique regimini calido. Fluida e contra lene mucilaginosa, grata acida, ad restituendum desperditum et ad inuoluendum acre, larga manu, et quidem tempore exacerbationis et aestus frigida temperantibus nitrosis, tempore remissionis theiformia lenioribus diapnoicis iuncta, sunt porrigena. Non enim remediorum farragine, non medicamentis multa arte compositis, sed iudicio et constantia hic opus est.

Variae autem cum sint caussae quae progressuum sanguinis motum augere possunt, et modo in stasi sanguinis inflammatoria, modo in spasticis constrictionebus, modo in simplici stimulo forti, a quaenque caussa orto et frequentius cordi applicato consistant; hinc varia et diuersa febrium symptomata; dolores fixi, anxietates, pectoris oppressiones, subsultus tendinum, deliria, vtiaque plura, quorum tamen omnium curatio in una hac regula, *mitiga motus noxiros, promove salutares*, continetur. Quibus vero hoc obtinendum erit auxiliis?

Generatim nunquam negligendum erit hoc Boerhaauii effatum, febrim esse *adfectionem vitae conantis mortem auertire*. Motus enim febriiles stases et stagnationes discutiunt, materiasque peregrinas coquunt et eiiciunt, et solus horum motuum nimius excessus, et irregularis progressus, vnde congestiones et accumulationes sanguinis originem ducunt, resolutioque eiusdem putrida est timenda, vietaque inferunt periculum. Omnia itaque quae a medico rationali in febrium curatione praestari poterunt, ad id redibunt, vt excessus motuum febrilium mitiger, congestiones et accumulationes imminuat et tollat, vires vitales conseruare et depeditas restituere studeat, sanguinisque resolutioni putridae resistere allaboret.

Febrilium motuum excessuum ex parte temperantium largiori usq*ue* mitigari, antecedentibus iam indicaui, ex parte vero etiam tam huic quam sequenti indicationi, vt congestiones et accumulationes imminuantur, satiascent venae sectiones, et enemata antiphlogistica. Quod venae sectiones vero attrinet, quanquam de illis negari non possit, eas et repetitas in omni dispositione ad statum inflammatorum, magnum, certum, atque salutare constituere remedium:
ta-

tamen saepius etiam confitendum erit, de illis quoque valere, quod olim in prouerbio erat; incidit in scyllam qui vult vitare charybdim. Saepius enim tum qui inflammatorium statum timens, venae sectione vtitur, vires vitales, ad superandam morbi grauitatem necessarias et nullis amplius remediis restituendas, exhaustus, morremque accelerat. Nunquam itaque nisi primo morbi principio, valentibus adhuc viribus vitae, praesentibus signis non crisi, sed manifestum statum plethoricum, graues et periculofas congestiones doloribus acutissimis stipatas, timendasque lethales inflammations indicantibus, nunquam, nisi pulsus adsit fortis atque durus, iustituendam esse venae sectionem.

Epispastica vero in omni morbi statu securum et efficax ad congestiones infringendas, et motus a centro ad peripheriam inuitandos constituent remedium.

Vires autem vitae, et robur partium gratae acidorum frequenteri vsu, et impedita humorum sanguinisque nimia profusione, certissime conseruantur, et conueniente diaeta remediisque roborantibus superato morbo deperditum restituitur.

Putridae tandem resolutioni, acida, ipseque cortex Peruuianus largiori datus manu efficacissime resistunt.

Verum enim vero in antecedentibus monitum cum fuerit, crises non esse turbandas, et illas non medici arte produci sed tantummodo promoueri posse: sequetur inde versus eiusmodi dies nullas commotiones remediis esse producendas, nisi ad illas tendit natura, et nullas euacuationes sistendas, nisi vires vitae manifesto inde consumi videntur.

Limites vero propositos cum iam me excessisse videam, finem huic dissertationi faciam et reliqua quae monenda adhuc superessent ad aliud tempus differam.

TV VERO MIAMANTISSIME FRATER, res TVAS perage feliciter. Semper adsit TIBI clemens, prouidum, atque propitium summum numen, facitque Deus t. o. m. vt digna conatum TVORVM, felicissimis sub auspiciis, nanciscaris praemia. Vale. Perfruere omnibus numeris absolutissima felicitate; Vale, et me imposterum quoque amare perge Vale. Dabam Berolini d. 26. Nou. MDCCCLXXI.

Me 27

ULB Halle

005 314 909

3



B.I.G.



DISSERTATIO EPISTOLARIS
DE
OBSERVANDA
IN MORBORVM MEDELA
METHODO
GENERATIM CONSIDERATA

QVAM

F.RATR.I S U O
FRIDERICO ADOLPHO
RICHTER

GRATVLATVRVS

DIGNITATEM DOCTORIS MEDICINAE
IN REGIA FRIDERICIANA

D. III. DEC. MDCCCLXXI.

PUBLICE IMPETRANDAM

INSCRIPTIT

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS
RICHTER

HALAE

A.P.V.D. I.O. C.H.R.I.S.T.I.A.N. H.C.N.D.E.L.

